

specie confici potest Eucharistiæ sacramentum, est tamen de essentia sacrificii missæ, ut sacrificium est præcise. *Vid.* quæ idem P. Ferraris adducit n. 54 et n. 58\*.

(50. Consecratio utriusque speciei panis et vini est de necessitate præcepti divini. *Communis.* Constat enim ex facto ipso Christi utramque speciem consecrantis et adjuncto præcepto: *Hoc facite in meam commemorationem*; unde concilium *Tridentinum*, sess. xxii, cap. 1, satis indicat consecrationem utriusque speciei esse de jure divino, dum dicit «quod Deus et Dominus noster... Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit.»

(51. Unde per se nunquam licitum est consecrare unam tantum speciem panis v. g. et non vini, etiam in gravi necessitate communicandi infirmum, alioquin sine Viatico moriturum. *Communissima doctorum*, teste Sporer, tom. III, part. II, cap. 3, n. 132.

(52. Ac proinde, ut prosequitur, *ibidem*, Sporer, juxta communioem et verioem sententiam doctorum, neque Summus Pontifex potest dispensare et concedere ut una tantum species consecratur. Et sic tenet Lugo, tom. V, disp. 19, sect. 8, n. 105, dicens ita necessariam utriusque speciei consecrationem ad valorem sacrificii, ut neque ex dispensatione Pontificis possit licite una species absque altera consecrari, testaturque hanc sententiam tenere communiter recentiores theologos, Suarez, disp. 43, sect. 4; Vasquez, disp. 223, cap. 3, et alios fere omnes. Ita etiam tenet Reiffenstuel, *Theolog. moral.*, tract. 14, dist. 5, quæst. 2, n. 39, testans de probabiliori et communiori, et sic plurimi alii. Et constat ex tali perpetuo et communi usu Ecclesiæ, quem aliquando fuisse immutatum, nullo sufficienti testimonio probari potest.

(53. Hinc falsum et fabulosum est, quod scribit Raphael Volaterranus, lib. vii *Geographiæ*, cap. 4, nempe Innocentium VIII, cum Norvegis dispensasse, *ut sine vino calicem consecrarent*; seu ut in una tantum specie panis consecrarent, quod idem refert Onuphrius Panvinius, in *Chron.*, anno 1490. Et Claudius Sainctes ex eodem Volaterrano, rept. 10 *De Eucharist.*, cap. 3, refert Innocentium IV dispensasse; falsitatis enim aperte convincitur ipse Volaterranus ex ipsamet sua historia, quæ manifeste falsitatem suam prodit, cum dicat concessum fuisse Norvegis, *ut sine vino calicem consecrarent*, quod absque manifesto errore concedi non potuit, ut constat et recte advertit Lugo, *loco cit.*, n. 119. Item falsitatis convincitur Volaterranus, ut recte notat Amat de Graveson, tom. VI *Histor. eccle-*

*siast.*, fol. 143, Romanæ impressionis anno 1720, ex eo potissimum, quod nulla illius concessionis apud alios auctores memoria vel minimum exstet vestigium, et falsa sit ratio, ob quam hujusmodi dispensationem concessam Volaterranus scribit, quia scilicet vinum in eam regionem importatum statim acescat, cum tamen ibi vina generosissima conservari experientia comperit sit; tum quia, ut recte observat Bellarminus, lib. iv *De Summo Pontifice*, cap. 14 in fine, mirum videtur quod Norvegi eo tempore vini usum non habuerint, ne quidem pro sacrificando, cum hoc tempore adeo sit frequens, ut sine illo ne communicare quidem velint. Si autem aliquod talis dispensationis Pontificum diploma alicubi fuerit publicatum, dicendum est cum Bozvio, in *Annalibus ecclesiasticis* ad annum 1490, et Graveson, *loco cit.*, exstitisse circa illud tempus nonnullos male feriatos sacerdotes, qui postea combusti sunt propter adulterata Pontificia diplomata, a quibus falsam illam dispensationem publicari potuisse verisimile est. Quod autem Claudius Sainctes, *loco cit.*, dicit Innocentium IV cum Norvegis dispensasse, constat fuisse errorem, dum pro Innocentio VIII, quem Volaterranus refert, scribit Innocentium IV, de quo nullus unquam historicus talem dispositionem retulit.

(54. Et ratio fundamentalis nostræ conclusionis est, quia, ut constat ex *Tridentino*, sess. xxii, cap. 1, et fatentur omnes Catholici, Christus instituit et præcepit offerri sub utraque specie sacrificium incruentum missæ ad repræsentandum suum sacrificium cruentum crucis, in quo corpus et sanguis ipsius Christi fuerunt separata; atqui hæc separatio sanguinis a corpore Christi in ejus passione et morte nequit exprimi et repræsentari per consecrationem unius solius speciei, sed tantum per consecrationem utriusque speciei, quia nimirum sub specie vini per se et vi verborum constituitur in altari sanguis in calice, et per se et vi verborum corpus sub specie panis, quæ est quasi pictura exprimens, quomodo in cruce separatus fuerit sanguis a corpore, et sic corpus velut mortuum, et sanguis velut effusus incruente repræsentatur, ergo, etc., et consequenter, etc. Tum quia Ecclesia in nullo casu permittit sacrificium mutilum sub una tantum specie, et ut hoc caveat, dispensat, ut patet in *Rubricis Missalis*, tit. *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus* in strictissimo præcepto jejunii naturalis, ut si sacerdos post consecrationem unius speciei recorderetur se non esse jejunum, nihilominus consecraret aliam speciem, ut compleat sacrificium; et si moreretur post consecrationem corporis, præcipit compleri ab alio sacerdote etiam non jejunum, ne videlicet maneat sacrificium mutilum sub una tantum specie; ex quibus colligitur Ecclesiam satis velle declarare se non posse dispensare, quod sacrificetur in una tantum specie.

(55. Non est tamen omnino improbabile,

quod in aliquo urgentissimo casu posset Papa dispensare, ut sacrificium missæ fieret sub una tantum specie, seu potius ex rationabili interpretatione declarare tunc cessare obligationem præcepti divini de integritate sacrificii sub utraque specie. Sic notant Herinex, *De Eucharistia*, disp. 2, qu. 7 in fine; Sporer, *loco cit.*, n. 132, et alii. Et posse Papam ex causa urgenti concedere, ut consecratio Eucharistiæ et sacrificium missæ in una specie fiat, tenent Turrecremata, S. Antonin., Gabriel, Alan., Azorius, et alii citati et secuti a Barbosa, in conc. *Trident.*, sess. xxii, cap. 1, n. 26, et aliqui apud La Croix, lib. vi, part. II, n. 145.

## NOTA ROMANI THEOLOGI.

Si verum est, quod P. Ferraris n. 51, cum Sporer dicit, ut est verum, non video, quomodo hæc opinio possit non esse omnino improbabilis.

## RESPONSIO AUCTORIS.

Posse Papam ex urgentissima causa concedere, ut consecratio Eucharistiæ et sacrificium missæ in una specie fiat, non ego ex sensu meo asserui, sed tenent Turrecremata, S. Antonin., Alan., Azor., et alii citati, et secuti a Barbosa, *l. ibi cit.*, et alii classici doctores apud La Croix, *ibi cit.*, quorum opinionem ad eruditionem tantummodo eo loci protuli.

(56. Sacrificium missæ differt a sacrificio crucis solum ratione modi offerendi cruenti et incruenti, quia nimirum in cruce Christus se obtulit Deo cum reali effusione sanguinis, mactatione et morte violenta: in missa vero Christus offertur Deo absque reali effusione sanguinis, et morte violenta, sed modo incruento et mystico, seu repræsentativo.

(57. Sacrificium missæ differt a sacrificio ul-

## SACRILEGIUM

## SUMMARIUM.

1. Sacrilegium unde dicatur? — 2. Sacrilegium quid sit? — 3. Sacrilegium est triplex, scilicet personale, reale et locale. — 4. Quodnam sit sacrilegium personale, quodnam reale, et quodnam locale? — 5. Sacrilegium personale quandonam committatur?

(1. Sacrilegium sic dicitur a *sacris legis*, id est *furandis*. Unde *sacrilegus* est, qui *sacra legit*, id est *furatur*, ut dicit S. Isidorus Hispalensis lib. x *Etymolog.*, cap. 18, et colligitur etiam ex cap. *Sacrilegium* 4, caus. 17, qu. 4, ubi ex verbis S. Gregorii Magni sic habetur: «Sacrilegium et contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquatur, pravæ voluntatis studio suis tentaverit compendiis retinere.»

(2. Sacrilegium est violatio rei sacræ sive in se, sive in aliis. Sic in re communis.

(3. Sacrilegium est triplex, scilicet personale, reale et locale. *Communis.*

(4. Sacrilegium personale est, quo violatur sacra persona. Sacrilegium reale est, quo violatur sacra res. Sacrilegium locale est, quo violatur sacer locus. *Communis.*

timæ Cœnæ solum in qualitate rei oblatæ, quia nimirum in ultima Cœna Christus offerbatur adhuc mortalis et passibilis; in missa vero offertur nunc Christus immortalis et impassibilis.

(58. Sacrificium missæ differt essentialiter a sacramento Eucharistiæ in hoc, quia nimirum essentia sacrificii consistit in actione transeunte sacrificativa, scilicet consecratione, et necessario requirit utramque speciem: essentia autem sacramenti Eucharistiæ tanquam ejus effectus, in facto esse permanet, et in una specie sola salvatur; insuper differt sacrificium missæ a sacramento Eucharistiæ ratione diversi finis, quia sacrificium missæ principaliter ordinatur ad Deo debitum cultum exhibendum in recognitionem ejus supremi domini; sacramentum vero Eucharistiæ ordinatur ad hominem justificandum, seu spiritualiter nutriendum. (59. Unde ratione finis perfectius est sacrificium quam sacramentum, quia sacrificium habet finem proximum nobiliorem, nempe cultum Dei, et recognitionem ejus supremi domini; sacramentum autem habet finem minus nobilem, nempe hominem justificare.

(60. Hinc generaliter loquendo, sacramenta et sacrificia differunt: primo in institutione, quia sacrificia institui possunt etiam publica auctoritate humana; sacramenta autem sola auctoritate divina. Secundo differunt ratione finis, quia sacrificia principaliter ordinantur ad cultum Dei in recognitionem ejus supremi domini: sacramenta vero ordinantur ad salutem et justificationem hominum. Tertio differunt ratione materiæ, quia materia sacrificii consistit solum in rebus; materia autem sacramentorum in rebus simul et verbis.

(61. Alia ad rem, *vide verb. EUCHARISTIA*, et *verb. MISSA*.

(6. Sacrilegium reale quandonam committatur? — 7. Sacrilegium locale quandonam committatur? — 8. Sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale, nisi excuset parvitas seu levitas materiæ, aut inadvertentia et indeliberata voluntas. — 9. Alia ad rem ad num. 15.

(5. Sacrilegium personale committitur per omnem violentam manuum injectionem in personam sacram, scilicet in clericum sive religiosum, aut monialem, per usurpatam jurisdictionem in personas ecclesiasticas, ipsas ad tribunalia sæcularia trahendo, incarcerando et hujusmodi, vel easdem ad vectigalia obligando: item per luxuriosam violationem personæ Deo per votum castitatis sacratæ, et hujusmodi.

(6. Sacrilegium reale committitur, cum violantur, seu injuriose tractantur, aut ministrantur sacramenta, vasa sacra, reliquiæ sanctorum, Dei et B. V. M. ac sanctorum imagines, instrumenta, seu ornamenta sacra. Item sacrilegium reale committitur per rapturam honorum Ecclesiæ, per suppressionem piorum legatorum, per fraudationem



jurium Ecclesie, per abusum sacrarum vestium, sacrarum caeremoniarum et sententiarum sacre Scripturae ad stabiliendas haereses, ad sortilegia, ad incantationes, ad divinationes, ad res turpes, ad adulationes, ad detractiones, ad libellos famosos, ad amatoria, ad fabulosa, ad scurrilia, et hujusmodi, imo hunc temerarium sacre Scripturae abusum rigore, sub arbitrariis poenis ab episcopis infligendis, interdicat concil. *Trid.*, sess. iv, in decret. *De editione et usu sacrarum librorum.*

(7. Sacrilegium locale committitur per omnia quae fiunt contra sanctitatem loci sacri, ut sunt destructio maerosa templi vel altaris, occisio hominis, injuriosa effusio sanguinis vel seminis humani, illicita et notoria sepultura excommunicati vel non baptizati in loco sacro. Item sacrilegium locale committitur per violentam extractionem rerum e loco sacro, per actus profanos et illicitos, et repugnantes immunitati ecclesiasticae exercitos in locis sacris, ut sunt negotiationes, seditiones, illiciti concubitus et spurcicies, consilia saecularia, stabulationes equorum, incendia, effractiones, spoliationes, mercatura, et hujusmodi. Item sacrilegium locale committitur per furtum, quod sacrilegium evadit tribus modis. Primo nempe, cum quis furatur *sacrum de sacro*, id est rem sacram, ut calicem, planetam, pyxidem, et hujusmodi in loco sacro. Secundo, cum quis furatur *non sacrum de sacro*, id est rem profanam non sacram, ut pecuniam, aut aliam rem in loco sacro repositam. Tertio, cum quis furatur *sacrum de non sacro*, id est rem sacram, ut pyxidem, calicem, et hujusmodi in loco non sacro, scilicet extra ecclesiam, textu expresso in cap. *Quisquis* 21, caus. 17, quaest. 4, ubi ex verbis Summi Pontificis Joannis VIII, sic praecise habetur: «Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.»

(8. Sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale, nisi excuset parvitas seu levitas materiae, aut inadvertentia et indeliberata voluntas. *Communis.* Et quoad primam partem clare patet, quia sacrilegium ex genere suo opponitur graviter excellentissimae

## SACRISTA SACRISTIA.

## SUMMARIUM.

1. Sacristae officium quodnam sit? — 2. Sacrista capellae Palatii Apostolici debet esse aliquis ex fratribus Eremitarum S. Augustini. — 3. Sacrista conclavis gaudet gratis et privilegiis conclavistarum. — 4. Sacristae seu praefecti Ecclesiarum regularium astringi possunt ad non permittendum eis celebrationem sacerdotum saecularium, nisi exhibita ordinarii licentia. — 5. Sacristae munus per simplices sacerdotes exerceri solitum, non cogitur suscipere cantor, qui sit una ex dignitatibus Ecclesiae. — 6. Sacristae nihil exigere debent pro benedictione sponsi et sponsae. — 7. Sacristanatum obtinens cum obligatione inserviendi in divinis officiis potest deservire per substitutum. — 8. Sacrista in Ecclesia cathedrali est dignitas, et requirit sacer-

virtuti religionis; unde nemo dubitat esse peccatum mortale, cum sacrilegium sit in gravem contemptum personae seu rei aut loci sacri. Quoad secundam etiam partem clare constat, quia sicuti parvitas et levitas materiae, aut inadvertentia, et indeliberata voluntas excusat a mortali in aliis actionibus peccaminosis, ita etiam in actionibus sacrilegis; unde apud omnes certum est sacrilegium esse solum peccatum veniale, cum, secluso contemptu aut scandalo, sit aliqua levis injuria, irreverentia aut inhonoratio personae, seu rei aut loci sacri, et hoc propter parvitatem materiae, seu irreverentiae et injuriae commissae; sicuti pariter omnes concedunt esse solum peccatum veniale, et quandoque nullum, si injuria et irreverentia facta personae, rei aut loco sacro, sit ex inadvertentia, indeliberatione aut ignorantia invincibili.

(9. Alia ad rem, *vide verb. ECCLESIA*, art. 4, et *verb. LUXURIA*, a n. 29 ad 32.

## ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(10. Si violetur per peccatum carnis persona specialiter consecrata Deo, habet peccatum hoc rationem sacrilegii, in quantum est violatio rei sacrae, scilicet specialiter consecratae Deo.

(11. Hujusmodi est fornicatio cum mortali, quae jure etiam civili, uti gravissimum delictum, poena mortis punitur. Hujusmodi quoque est fornicatio commissa ab eo qui ordine sacro sit initiatus, quae jure antiquorum canonum puniebatur poena perpetuae depositionis ab omni ministerio Ecclesiae. Quomodo vero hodie puniatur, petendum ex concilio *Tridentino*, sess. xxv, c. 14, *De reformat.*, et alibi etiam dictum a nobis est.

(12. Illud vero hic non omittendum, adhuc hodie deponendum sacerdotem cognoscentem filiam suam spiritualem, vel eam, quae propter poenitentiam effecta fuit filia spiritualis, vel parochianam suam, ut probe monuit Zypaeus in jure novo *De cohabit. cleric.*, n. 10, ubi quod idem procedat in religiosis fornicantibus. (13. Ratio est, quod poena inflicta a concilio *Tridentino* locum haud habeat quoad fornicationem clerici adjunctam habentem aliquam circumstantiam aggravantem.

dotium. — 9. Interveniens funeribus capitulo Ecclesiae cathedralis, curatus et sacrista illius cathedralis, licet sint amovibiles, debent praecedere parochio defuncti. — 10. Determinatis horis pulsandi divina officia, et pulsata campana per sacristam, divina officia differri non valent ad alienius instantiam, et hebdomadario absente, archidiaconus jubere debet alteri, ut incipiat. — 11. Quod praescribitur in caeremoniali, ut canonici de sacristia egrediantur bini, intelligitur in solemnitatibus. — 12. Tolerandum est quod canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus matutinum in sacristia. — 13. Non potest episcopus in aliquo casu astringere canonicos, ut domi suae capitulum convocent, si fuerit solitum, ut fiat in sacristia. — 14. Sedes archiepiscopi, non ex sacristiae sacris vestibus est ornanda. — 15. Episcopus non potest

uti sacristiae vasis argenteis, vel alia supellectili, in sua mensa, vel ad alios usus profanos. — 16. Solium archiepiscopale fieri et manuteneri debet sumptibus archiepiscopi, et non sumptibus sacrarii metropolitanae. — 17. Non potest episcopus compellere regulares ad ei exhibendos libros sacristiae, in quibus

(1. Ad sacristiae officium pertinet custodia sacrarum vasorum, vestimentorum ecclesiasticorum, seu totius thesauri ecclesiastici, nec non quae ad luminaria pertinent, sive in cera sive in oleo, textu expresso, in cap. *Ut sciat*, unico, *De officio sacristae.*

(2. Sacristae capellae Palatii Apostolici officium ab immemoriali tempore citra alicui ex fratribus Eremitarum S. Augustini committi consuevit, et deinceps committi debere concedit, commissionesque aliter factas irritat Alexander VI, const. 5, incip. *Ad sacram.*

(3. Sacrista conclavis gaudet gratis et privilegiis conclavistarum. Clemens VIII, constitut. 16, § 14.

(4. Sacristae seu praefecti Ecclesiarum regularium astringi possunt ad non permittendum in eis celebrationem sacerdotum saecularium, nisi exhibita ordinarii licentia. Sacra congregatio Concilii, in *Neapolitana* 17 Augusti 1630.

(5. Sacristae munus per simplices sacerdotes Ecclesiae exerceri solitum, non cogitur suscipere cantor, qui sit una ex dignitatibus Ecclesiae. Sacra Rituum congregatio, in *Adrien.* 2 Martii 1782.

(6. Sacristae nihil exigere debent pro benedictione sponsi et sponsae. Sac. cong. Rit., in *Neuron.* 25 Februarii 1606.

(7. Sacristanatum obtinens in parochiali erectum cum unione simplicis beneficii pro uno clerico, qui in divinis officiis et cura exercenda, ac aliis oneribus adjuvare teneatur, potest deservire per substitutum, et fructus eidem debentur. Sacra cong. Concilii, in *Spoletana* 21 Julii 1626.

(8. Sacrista in Ecclesia cathedrali est dignitas, et requiritur sacerdotium. Sacra Rot. recent., part. xiv, decis. 169, n. 8.

(9. Si intervenierit funeribus capitulum Ecclesiae cathedralis, in hoc casu curatus et sacrista illius cathedralis, licet sint amovibiles, debent praecedere parochio defuncti. Sac. Rit. cong. 22 Mart. 1631.

(10. Determinatis horis pulsandi matutinum, et alias Horas canonicas, et pulsata campana per sacristam aut ejus deputatum, ac in ecclesia accensis luminibus, divina officia differri non valent ad alicujus instantiam; et hebdomadario absente, archidiaconus jubere debet alteri ut incipiat. Sac. cong. Episc., in *Theatina* 18 Aprilis 1617.

(11. Quod praescribitur in caeremoniali, ut canonici de sacristia egrediantur bini, intelligitur in solemnitatibus. Sacra cong. Rituum 12 Julii 1628.

(12. Tolerandum est quod canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus matutinum in sacristia. Sac. cong. Episc., in una S. Severini 13 Septembris 1641.

adnotantur celebrationes missarum. — 18. Sacristia contigua choro alicujus monasterii religiosorum est sub clausura comprehensa. — 19. Sacristiae expensae spectant ad episcopum, non autem ad capitulum.

(13. Non potest episcopus in aliquo casu astringere canonicos ut domi suae capitulum convocent, si fuerit solitum, ut fiat in sacristia. Sac. congreg. Episcop. 1 Februarii 1483.

(14. Sedes archiepiscopalis aere proprio archiepiscopi, non ex sacristiae sacris vestibus est ornanda. Sacra congreg. Concilii, in *Messanen.* 4 Septembris 1586.

(15. Episcopus vasis argenteis, vel alia sacristiae supellectili non utatur in mensa, vel in alios profanos usus, imo nec ad sacros extra cathedralem, sed ea ibi pro Ecclesiae servitio relinquat. Sacra congreg. Episc., in *Tullen.* 10 Martii 1597 et in *Castellaneten.* 16 Maii 1642.

(16. Cum solium archiepiscopale pertineat ad officium archiepiscopi, sequitur id suis sumptibus fieri ac manuteneri debere, et non sumptibus sacrarii metropolitanae. Sac. cong. Concilii, in *Urbinate.* 10 Martii 1663.

(17. Non potest episcopus, nisi habeat privilegium speciale, compellere regulares ad exhibendos libros sacristiae, in quibus adnotantur celebrationes missarum ad hoc, ut ex iis constare possit de satisfactione obligationis debitae ex legato pio. Sacra congreg. Concilii, in *Urbinate.*, ad cap. 7, sess. xxii, *De reformat.*, 10 Maii 1663.

(18. Sacristia contigua choro alicujus monasterii religiosorum est sub clausura comprehensa. Sac. cong. Episc. et Regul. in *Sulmonen.* 16 August. 1615. *Vide verb. CONVENTUS*, art. 3, n. 14.

(19. Sacristiae expensae spectant ad episcopum, non autem ad capitulum. Sac. cong. Episc., in *Melphien.* 4 April. 1704; apud Ursayam, tom. II, part. 1, discept. 34.

## ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(20. Ex quo ecclesiae cathedrales abundare coeperunt thesauro magni pretii, constituti sunt *sacristae*, qui habeant custodiam sacrarum vasorum, vestimentorum ecclesiasticorum, seu totius thesauri ecclesiastici, nec non eorum quae ad luminaria pertinent; cap. unic. *De officio sacristae*. Dieti propterea et *thesaurarii* sunt. (21. Primitus officium simplex sine dignitate ecclesiastica gerebant: progressu vero temporis in pluribus cathedralibus ecclesiis honore dignitatis decorati sunt. Confer Corvin., *De person. et benef. eccles.*, lib. I, tit. 22, num. 3.

(22. De culpa, quam praestare debent sacristae circa custodiam thesauri ecclesiastici, non inutilis hic disquisitio est. Levissimam culpam ab iis exigit Brucknerus, *De custodia templor.*, artic. 3, § 12, et jure quidem meritoque. (23. Praeficiuntur enim ejusmodi negotiis, quae non *vulgarem*, sed *penitentiorem* curam, et sollicitudinem singu-



larem desiderant. (24. Quapropter natura ipsa negotiorum ipsos obligat ad exactissimam diligentiam. Reque ipsa Romani quoque jurisconsulti, in hujusmodi quæstionibus decidendis, potissimum respexere ad

## SALUTATIO

Vere dictum a Ven. P. Petro Canisio, *De Maria Deip.*, lib. III, cap. 5: «Novatoribus usitatum esse adversus Angelicam Salutationem insurgere.» Certe Urbanus Regius, alique id genus Deiparæ osores eam penitus abolitam voluerunt. Alii, eam in varias linguas vertentes, mire depravarunt; cujus rei exempla dabit p. 37, præclarus auctor Italicæ epistolæ proximo anno 1783 editæ inscriptæque: «Lettera del primicerio di Mondorbopoli a Mons. Scipione de Ricci vescovo di Pistoia e Prato,» qui verba illa: *Benedictus fructus VENTRIS TUI* nec vulgata editionis Biblicæ auctoritate, neque Ecclesiarum omnium a tot sæculis usu deterritus immutavit\*. Notandum quod in Salutatione Angelica additionem illam *Sancta Maria*, etc., in nulla precum formula ante annum 1508 reperiri inquit Grancolas, in *Breviarium Romanum*, cap. 23. Sed tunc temporis usurpari cæpisse *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus. Amen.* Fratresque Minores addidisse postea verba illa: *nunc, et in hora mortis nostræ*; ut legitur in eorum Breviario edito anno 1515. Sic ad litteram eruditissimus D. Joseph Catalanus, in *Pontifical. Roman.*, tom. II, tit. 15, § 2, n. 2.

\* Vide vero cum primis D. Joannis Chrysostomi Trombellii præstantissimi viri de Salutatione Angelica dissertationem in *Vita B. M. Virginis*, p. II, diss. 4 et Franciscum Antonium Zaccaria, t. II *Dissertationum suarum Italicarum* ad historiam Ecclesiasticam pertinentium, Romæ excus. 1780, diss. 6; ubi de omnibus, quæ ad Angelicam

## SAMARITANA A CHRISTO CONVERSA.

Samaritana, quæ Christum ad puteum Jacob patriarchæ excepit, et ibi a Christo ipso conversa fuit, Photina communiter nuncupatur, et ab Ecclesia sub tali nomine, ut vera martyr, una cum duobus filiis suis, et aliis martyribus colitur die 20 Martii, ut canit Martyrologium Romanum his verbis: «Eodem die sanctorum Photinæ Samaritanæ, Joseph et Victoris filiorum, itemque Sebastiani ducis, Anatolii, Photis, Photidis, Parasceves et Cyriacæ germanorum, qui omnes Christum confessi martyrium sunt assecuti. De hac Samaritana Photina traditur, quod post Christi Ascensionem a Deo inspirata una cum dictis duobus suis filiis, et

## SANCTITAS, SANCTI.

Præstat sequentia adnotare: ubi etiam de SS. Patribus.

(1. Sanctitas non in una vel altera virtutum specie, sed in complexu omnium in gradu heroico usque ad obitum exercitarum, con-

naturam negotiorum, et ex gravitate et indole eorum æstimarunt, qualis industria ab administratore desideretur. Confer Jacobum Gothofredum, in *Commentar. ad leg. 24, ff. De regulis juris.*

## ANGELICA.

Salutationem spectant, copiose agit. Huic tamen videre non licuit dissertationem de hujus salutationis additamento, *Sancta Maria*, ab eruditissimo P. M. Antonio Vermeio a 1779 conscriptam illatamque p. 301 seqq., in suam historiam *Devoti sanctuarii B. F. vulgo de Texeda* Conchensis apud Hispanos diocesis, Matrili evulgatam. Hic enim auctor Trinitarios suos primos fuisse docet, qui Salutationi Angelicæ verba *Sancta Maria*, etc., omisiss tamen illis, *nunc et in hora mortis*, addiderint. Franciscani enim anno primum 1515, Carthusiani vero solum anno 1521, suis in Breviariis Salutationem eo auctam additamento ediderunt. At Trinitarii jam anno 1514 Breviario eandem præmiserant in Parisiensi editione, quam Mabillonius memorat *Præfat. ad Acta sanctor. ord. S. Benedicti*, sæc. V, n. 123. Eadem quoque exstat in eorundem Trinitariorum Breviario, quod curante P. Petro de Aponte Valentia a. 1519 emissum in lucem Nicolaus Antonius docet in *Bibliotheca Hispanica*, t. II. Meum tamen non est tantas componere lites; præsertim cum eadem legatur in Camaldulensium Breviario, quod illo ipso anno 1514 Venetiis prodit, generali illustrium monachorum præside celeberrimo Petro Delphino Veneto. Cæterum de sacris cæremoniis circa Salutationem Angelicam, præter Zaccariam cum in laudata Italica dissertatione, tum in *Onomastico Rituali*, t. I, pag. 38, consule Francisci Mariæ Magii et clericis regularibus *Commentarium*, Panormi impressum 1664, iterumque 1665\*.

quinque suis germanis et consobrinis Carthaginem petierit, ibique omnes fidem Christianorum prædicantes, plurimosque gentiles, inter quos celebrem ducem Sebastianum convertentes, ob id fuerint omnes ad crudelissimum martyrium condemnati. Vide omne acerbissimi martyrii genus apud Bollandistas ad diem 20 Martii, et apud Clericum, *Nelle Spiche*, verb. *Samaritana*, a. n. 821 ad 823. Ubi vero asserventur eorum reliquiæ, vide Bolland., *loc. cit.*, n. 8. Plura alia ad rem de Samaritana Photina, vide apud Calmet, in *Dictionario*, verb. *Photina*, et verb. *Samaritana*.

res circa dogmata nondum ab Ecclesia definita. Idem, *ibid.*, § 31.

(3. Sancti vocabulum in primæva Ecclesia, nec vitæ sanctitatem, nec martyrium pro Christi nomine toleratum indicabat, sed Christianæ religionis, quæ cuique fidelium communis erat, integritatem declarat: *Qui olim Christiani* (inquit Spontanus in *Epit. Annal. Baron.*), *videm nominabantur sancti*. \* *Omnes fideles*, inquit Chrysost., hom. 1, in *Epist. ad Rom.*, n. 4 (Apostolus) *vocat sanctos*, non alia certe de causa, nisi quod *sanctificati in sanguine Christi* essent, atque ad sanctitatem vocati. Hinc Paulus ipse eos *I Cor. XI, sanctificatos* dixit, quo deinde nomine usos novimus Clementem Romanum in *Epistola ad Corinthios*, et Chrysostomum, hom. 1, in *I ad Cor. Epistolam*, n. 1. (4. \*Hinc unus sancti titulus par non est, ut corpora, quæ ex catacumbis afferuntur, sacro cultu donentur. (5. Successu vero temporis sancti titulus ad peculiarem vitæ sanctimoniam significandam translatus est: demum obtinuit usus (Spond., *loc. cit.*) ut illi tantummodo *sancti* in Ecclesia dicerentur, qui eminentiori probatorique fulgerent morum sanctitudine. Idem, *ibid.*, § 32.

(6. Sanctorum nomina et elogia in Martyrologio inferri nequeunt sine auctoritate congregationis sacrorum Rituum. Idem, *ibid.*, § 3. (7. Sanctorum nomina in Martyrologio inferenda non sunt, nisi publicus cultus per solemnem canonizationem decretus, aut saltem ab antiquis temporibus universalis Ecclesiæ consensione præstitus fuerit. Idem, *ibid.*, § 15 et 16.

(8. Sanctorum nomina quæ in novissima Martyrologii Romani editione Benedicti XIV jussu inserta fuerunt, enumerantur ab eodem, *ibid.*, § 7, 8 et 9, nempe sub § 6, sic: «Sexta decima die Februarii, *beatus Gregorius X*. Die vicesima septima Aprilis, *beata Zita*. Die decima Maii *beatus Nicolaus Albergatus*. Die vicesima quarta Maii, *sanctus Joannes de Prado*. Prima die Junii, *sanctus Eneco abbas*. Die septima Julii, *beatus Benedictus XI*. Die vicesima Decembris, *S. Dominicus de Sylo*. (9. Et sub § 7, tradita ratione ob quam possint in Martyrologio inseri etiam nomina aliquorum beatorum, et adducto ex theologo Raynaudo, tom. XVIII suorum *Operum*, pag. 500, quod «Nomen quoque Martyrologii, quod olim sonabat duntaxat indiculum sanctorum martyrum, nunc extensum est ad syllabum plurimorum aliorum sanctorum confessorum ac sanctarum virginum.» Pergit sub § 8, enumerare aliquos beatos martyres Martyrologio de novo additos, videlicet die quinta Februarii, *Commemoratio viginti sex martyrum Japonen-*

*sium*. Die nona Julii, *Commemoratio novemdecim martyrum Gorcomiensium*. Die decima septima Septembris, *beati Petri de Arbues*. Die duodecima Novembris, *Commemoratio beati Josaphat Polocensis*. Et tandem sub § 9, addit nomina aliorum sanctorum in præteritis editionibus omissorum. Nempe die decima Januarii nomen *sancti Wilhelmi episcopi Bituricensis*. Die decima nona Januarii nomen *sancti Wistani Vigorniensis*. Die quarta Februarii nomen *sancti Josephæ Leonissa*. Die decima tertia Februarii nomen *sanctæ Catharinæ de Ricciis*. Die decima septima Aprilis nomen *sancti Roberti abbatis Casæ Dei*. Die quarta Maii nomen *sancti Godebardi episcopi Hildesheimensis*. Die tertia decima Maii nomen *sancti Petri Regalati*. Die secunda Junii nomen *sancti Nicolai Peregrini Transensis*. Die octava Junii nomen *sancti Wilhelmi archiepiscopi Eboracensis*. Die sexta decima Junii nomen *sancti Joannis Francisci Regis*. Die prima Julii nomen *sancti Theobaldi Eremitæ*. Die quarta decima Julii nomen *sancti Camilli de Lellis*. Die vicesima quarta Julii nomen *sancti Francisci Solani*. Die decima quinta Augusti nomen *sancti Stanislai Kostkæ*. Die vicesima sexta Octobris nomen *sancti Bernardi Hildesheimensis episcopi*. Die vicesima septima Novembris nomen *sancti Virgilio episcopi Salisburgensis*. (10. Die vicesima octava Novembris nomen *sancti Jacobi Piceni*. Die decima septima Decembris nomen *sancti Sturmii abbatis Fuldensis*. Idem, in *cit. constitut.*, incip. *Postquam intelleximus*, in qua plurima ad rem traduntur scitu dignissima. \* Addendus his omnibus S. Sircius Romanus Pontifex, quem idem Benedictus XIV, primus in Martyrologium Romanum in præmissa ad idem Martyrologium epistola strenue a se vindicatum intulit 26 Novembris\*.

(11. Sanctorum Patrum unanimis consensus in explicatione sacre Scripturæ in re pertinente ad fidem et bonos mores, est infallibile testimonium divinæ revelationis; ad differentiam unius, vel alterius, aut aliorum, reliquis contradicentibus. Idem, *De servorum Dei beatificat. et beatorum canonizatione*, lib. I, cap. 33, sub n. 12. Quamobrem verissime S. Augustinus, lib. I *Contra Julian.*, dixit eum, qui ab unanimi Patrum consensione discedit, ab universa Ecclesia recedere; hos enim, ut Vincentius Lirinensis scilicite aiebat, «in Ecclesia Dei divinitus per tempora et loca dispensatos, quisquis in sensu catholici dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum\*».

## SAPIENS ERROREM PROPOSITIO.

Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, num. 34.

## SAPIENS HÆRESIM PROPOSITIO.

Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, n. 23.

## SAPIENTIA.

Vide verb. THEOLOGIA, n. 15.